

von einer Hand des 12. Jahrhunderts nachstehendes auf die Vertreibung des Bischofs Anselm von Lucca i. J. 1080 bezügliches Schreiben des Papstes Gregor VII.

Gregorius episcopus servus servorum Dei P. abbati Ficeclensi et R. praeposito Campomaldi salutem et apostolicam benedictionem. Petivit religio vestra quatenus Ugicionem Bulgarelli filium de reatu suo non resipiscentem neque culpam suam confitentem sic absolvamus. Vos autem satis novistis, quia carum ipsum habere usque ad hoc grave facinus suum soliti fuimus, et certe ultra ceteros sui ordinis principes Tusciae antehac eum dileximus, eo quod ipse more patris sui bonos defendere et religionem in potestate sua plantare prae ceteris studuit. Unde si quomodo rationabiliter postulationi vestrae possemus annuere, profecto tam propter praedictam bonitatem suam et preces uxoris suae, tam propter petitiones vestras eum libenter absolveremus. Verum neque ratio aut consuetudo sanctae ecclesiae hoc habet neque sanctorum patrum nos ad hoc inducit exemplum, ut juste et canonice excommunicatus culpam suam non agnoscens nec ex corde veniam petens mereatur absolvi; nisi enim quis ex intimo corde poenitens reatum suum confiteatur, inutilis est absolutio nec dicenda nisi deceptio. Quod autem ipse comes ad malitiae suae defensionem se injuste et ob alicujus gratiam dicit excommunicatum, perpendat et ex sanctorum patrum sententiis diligenter inquirat, quid de conspiratoribus ipsi statuerint, et cum se in sacrilega conspiratione Lucensium fuisse meminerit, desinat ad augmentum mali flagitium suum maximeque defendere. Adhuc enim quod non minus est grave, quia episcopum Lucensem legaliter et canonice ordinatum de ecclesia sua expelli consensit vel permisit, merito in se anathematis gladium provocavit. Enimvero nollemus nos ullam vel minimam personam pro qua Christus sanguinem suum fudit, non dictante justitia excommunicare, si sciremus ob id oportere nos aut exilium subire aut usque ad sanguinis effusionem pervenire. Per maxime (permaxime?) autem, aut (ut) praefatus comes ad poenitentiam sicut christianum oportet de tanto facinore converteretur, optaremus profecto grande incommodum vel infirmitatem personae nostrae accidere. Proinde sanctitatem vestram invitamus atque rogamus, ut specialiter pro eo ad Dominum preces effundere cotidie memineritis, quatinus divina pietas cor et mentem illius visitet, compungat et ad poenitentiam convertat, ut de culpis suis resipiscens gemens et indulgentiam poscens in reliquum per bonorum operum exercitia in membris sanctae ecclesiae dignè possit connumerari.

IV.

Der Codex Nr. 522 von Montecassino saec. XII. enthält